

## CONSIDERATIO XV.

*De Immensitate DEI.*

Deus immensus est 1. per essentiam, omnibus & ubique praesentem 2. persapientiam, omnia ubique cognoscentem. 3. per potentiam, omnia ubique operantem.

P. 1. *D*eus immensus est per essentiam omnibus, & ubique praesentem. Altitudinem caeli, & latitudinem terrae, & profundum abyssi quis dimensus est, inquit Ecclesiasticus. c. 1. Si id nemo potuit, aut potest; quis ergo dimetietur infinitam illius immensitatem, quam caeli celorum capere non possunt? Quæ enim mensura immensis quæ finis infinitus terminus nullo termino circumscriptus? Cogita totam altitudinem caeli a summo usque deorum, totam ejus latitudinem ab uno extremo ad alterum: spatiū illud amplissimum non solum implet Deus sua essentia; sed & spatia omnia, quæ concipi possunt extra omnem celorum ambitum, totumque mundum. Neque enim uti nos, indiget loco Deus, ut ubi que sit, sed, ut inquit Augustinus, medit. c. 12. uti sine tempore sempiternus, ita sine locu

situ ubique præsens, sine loco ubique totus  
est, sine extensione omnia implet, ac sine situ  
intra omnia manet; in se ipso enim semper  
fuit, est, & erit; in se habitat, sibi mundus,  
sibi tempus, sibi locus, sibi omnia. unde siue  
destrueretur hic mundus, sive multiplicaretur;  
non augeretur tamen aut in nueretur: ius im-  
mensitas, semper tota & eadem sive intra,  
sive extra locum. Si enim mundus hic in ni-  
hilo, quo omni ex parte circumdatut, lo-  
cum suum velut intra se invenit, Deus in eo-  
dem nihilo locum intra se non inveniat? om-  
nis igitur locus in ipso est, ipse vero in nullo  
loco, qui proprie ipsius locus sit, utpote in  
se manens, & subsistens, uti ab æterno, ita  
& nunc, & in æternum: eo quod contineat  
omnia, adeoque & omnem locum, ipsum ve-  
ro utpote immensum nihil contineat aut con-  
tinere possit. Unde etiam nihil ipso superius,  
nihil inferius, nihil antrotsum, nihil retro-  
sum, nihil dextrorum, aut sinistrorum; quod  
haec certum situm, certamque spatii dimen-  
sionem denorent; cuius essentia Divina capax  
non est: quod ubique & in omnibus sit sine  
loco, ac extensione, & quidem indivisus;  
adeoque totus in toto mundo, totus similius  
in qualibet ejus parte, Quod si proinde Degt  
es-

essentia sua implet omnia, nec solum modo cælum & terram, omnemque locum creatum, sed & creabilem, omnesque pariter res possibiles; quomodo aut ipse non est in nobis, aut nos extra ipsum esse possumus? Quomodo non in ipso vivimus, movemur, & sumus? Quomodo non ipse totus in nobis, & totus extra nos, utpote individua simul, & immensa essentia, quæ arctari ac constringi se non patitur? Quis enim esset qui immensitati ejus limites poneret, quos excedere non posset, certisque eum coarctaret angustiis? Nescit profecto finem, qui, utpote in omnibus infinitus, sine caret; nescit limites, qui aliis, non sibi limites posuit, nec si voluisse, sibi ponere potuisse; cum acquerere nihil, nihil amittere unquam potuerit: ideoque cum habuerit semper, quidquid habere potuit, & quidquid ad excellentiam ejusdem infinitam pertinet; minus habere non potuit, nec potest, quam uti esse infinitum quoad tempus, ita pariter esse infinitum quoad locum: ut sicut æternitas ipsius complectitur omne tempus, ita immensitas omnem locum; & sicut sibi ipse est sive duratio absque ulla temporis differentia, sic sibi ( si ita loqui licet ) sit sua æterna & incircumscripta ubicatio, absque ullo

allo loco aut termi nos: quem si Divinæ im-  
mensitati natura sua interminabili, affingis,  
non minus hæc mensurabilis erit, quam  
mundi hujus machina utcunque ampla, om-  
niaque corpora cælestia: Quæ enim alicubi  
incipiunt, & alibi desinunt, haud dubie  
mensurationi subjecta sunt. Ah Deus meus,  
si hæc considerem, quantam te inter & me  
diversitatem invenio? Te totum quantum est  
cæli, terræque spatium, minime compre-  
hendit: & ego vix locum occupo ex infinito  
illo cæli terræque complexu; dum vivo,  
plus loci non habens, quam qui commensu-  
ratur exili corpusculo meo; nec plus post  
mortem, imo minus adhuc, quam exiget  
sarcophagus, cui cadaver & cineres mei in-  
cludentur. Vere ad nihilum redactus sum,  
E nescivi, Ps. 72. Vere miser & pauper sum,  
cum me divitem reputo; vere auctoratus angu-  
stiis, dum simbrias meas dilato. Ah videam  
& agnoscam tandem quid sim, comparare ad  
immensam & infinitam essentiam tuam! dis-  
cam revereri infinitas perfectiones tuas, ac  
me prosternere sub tanto Domino, quem celo-  
rum capere non possunt. 3. Reg. 8. &c.

P. 2. Per sapientiam omnia ubique cognos-  
centem. Si Deo omnia plena, si non solum  
in statu

instat aeris nos ambit; sed & in nobis sit per  
essentiam, uti in seipso, nostramque &  
animam, & corpus magis penetret, quam  
solis radii crystallum; nonne evidentissima  
ratione sequitur, quod omnes animi nostri  
corporisque motus, omnes seu bonas, seu  
malas affectiones, omnes actus intellectus  
& voluntatis, omnique opera nostra clari-  
tius & distinctius intueatur, quam ulla ratio  
humana & Angelica, imo nosmet ipsi [licet  
intime nobis praesentes] cognoscere possi-  
mus? Quis enim intellectus adeo subtilis ac  
perspicax; ut gradus claritatis, deliberatio-  
nis, intensiōnis, durationis unius etiam  
actus interni, variasque alias circumstantias  
aggravantes aut diminuentes, affectionesque  
diversas, in actum illum influentes, dignoscere  
ac metiri queat, nisi sola illa infinita sapien-  
tia, ubique & in omnibus praesens, quae in  
munitissimis etiam animalculis sensu huma-  
no vix perceptib[us], omnia eorum mem-  
bra, juncturas, si:um, numerum, motus,  
proportionem, eorumque naturam, vires,  
inclinationes, proprietates, & quidquid in  
ipsis cognoscibile, perfectissime distinguuntur;  
quin vel minimum eum latere possit? Et quo-  
modo eum quidquam in anima nostra (etsi  
cetera

cetera vel ipsis Angelis inscrutabile sit cor hominis) lateret; cum & cor nostrum ipse fixerit & formaverit: Ps. 32. & simul omnibus actionibus nostris interfit, ceu testis oculatus omnium, quæ agimus? Ut merito Regius vates Ps. 93. impiis & incredulis exprobarit: *Qui plantavit aurem non audiee, aut qui fixit oculum non considerat?* Quæ enim insania fingere sibi Deum rerum omnium authorem, & ubique præsentem, ignorantem nihilominus, quid agatur in mundo; aut suæ solummodo intentum magnitudini, cetera velut sua attentione indigna, non curantem? Nonne scelestorum hæc vox est: Job. 22. *Quid novit Deus? quasi per caliginem judicat; nubes latibulum ejus, nec nostra considerat.* Et Pl. 72. *Quomodo scit Deus, & si est scientia in excelso? Quæ temeritas eum cæcitatibus arguere, cuius oculi ut lampas ardens: Dan. 10. Et multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes?* Eccl. 23. *Præsens itaque nobis est Deus non quomodounque, & quasi aliud agens, nostraque negligens; sed ita invigilans singulis, ut etiam in omnes gressus nostros oculos suæ attentionis*

tionis defigat: Oculi ejus super vias hominum,  
¶ omnes gressus ejus considerat. Job. 21. Nec  
solum attendit ad ea, quæ exterius appa-  
rent; sed & ad omnia & singula, quæ intra-  
nos, & in secreto conclavi cordis nostri cu-  
duntur, ac peraguntur: Spirituum enim pon-  
derator est Dominus. Prov. 16 ut prius om-  
nia nuda & aperta sint oculis ejus, imo jam  
ante & ab æterno præscita, quam vel in mente  
nostra concepta; jam ante in statera justitiae  
suæ appensa & librata, quam a nobis execu-  
tioni data. Equidem præsentis Dei vultum  
non certimus, non ideo tamen minus in nos,  
actionesque nostras intentus est: cum sat ma-  
nifestis argumentis semper ostenderet, se non  
tantum non longe esse ab unoquoque no-  
strum; sed & inspicere ac scutari omnium  
corda & renes. An non enim videbat occulta  
consilia proditoris Judæ; cui jam ante,  
quam proditorum oculum offerret, per-  
fidiam suam exprobavit? non videbat pra-  
via molimina Sauli, quem spirantem iminas  
accèdes, ex equo præcipitavit? Non secre-  
tas cogitationes Simonis, quem ad defen-  
dendam Magdalenam, injusti judicij redar-  
guit? non Eliam sub umbra Juniperi dor-  
mientem? quem pane & aqua refecit? Non

Jo-

Jonam in ventre ceti , quem salvum & in-  
lumen in littus perduxit ? Et quomodo non  
videat , qui fines mundi intuetur , & omnia  
quæ sub calo sunt , respicit . Job. 18. Qui fieri  
ergo possit , ut non ubique Deum me aspi-  
cientem præ oculis habeam ? Pro ! quanta  
mihi indicta necessitas bene operandi , cum  
semper & ubique verser ante oculos domini  
& judicis mei , cuncta cernentis ! Num au-  
debo in conspectu ejus facere ; quod vel in  
oculis hominum facere non auderem ? Ubi  
ratio , ubi fides mea fuit , cum in corde meo  
tot flagitia peperi , & partum hunc infelicem  
a conspectu mundi , tam sollicite abscondi ;  
quasi vero , quod oculis hominum subducere  
potui , non fuisset in conspectu tuo semper .  
Vidisti Domine ! vidisti , & ad iracundiam  
concitatus es , & nihilominus pepercit mihi  
oculus tuus , tantaque patientia dissimulasti  
iniquitates meas . O quanta bonitas , quanta  
clementia tua erga me ! &c.

P. 3. Per potentiam omnia ubique operan-  
tem . Ut per essentiam ac sapientiam semper  
& ubique nobis pæsens est Deus , ita non  
minus per omnipotentiam . Magna equidem  
& admiranda sunt , quæ fecit ab initio in  
creatione cæli & terræ , dando rebus singulis

suam essentiam , suam naturam & indolem ,  
suam formam ac proportionem , suos motus  
ac ordinem ; at non minus admirandum ,  
quod eadem Divina potentia , tantarum esse-  
ētrix rerum , perpetuo iisdem creaturis suis  
ob innatam ipsis fragilitatem præsto esse de-  
beat , illas conservando , ac veluti in mo-  
menta singula iterum producendo . Cum  
enim ex se nihil sint , uti ad hoc , ut essent ,  
de suo nihil conferre potuerunt ; ita neque  
ut esse ac subsistere pergant ; non minus om-  
ni momento indigentes auctore suo , ne in  
suas tenebras & primigenium nihilum denuo  
relabantur ; quam eo indigebant primo pun-  
cto sue creationis , ut ex eodem emergerent .  
Ipso manu suam vel ad momentum subitra-  
hente , necesse est haud aliter disparere om-  
nia , quæ sub sole sunt , quam lucem e cælo ,  
sole occidente : quod omnia creata ex suo  
creatore magis pendeant , quam lux ex sole .  
omnipotens namque manus illa non fabrica-  
ta est solummodo orbem terrarum , sed ut lo-  
quitur Isaias c. 40 . eundem constanter di-  
gitis suis appensum tenet , ne corruat ; suspen-  
sat & portat , ne labatur & fatiscat . Unde  
Apostolus ad Hebr. 3 . Portans , inquit , ova-  
nia verbo virtutis sue , eodem scilicet ve . bo .

quo

quo dixit & facta sunt, mandavit & creata sunt, eadem virtute omnipotentiae suae, qua omnia & singula ab initio produxit. Ex ipso enim & per ipsum & in ipso ita sunt omnia; ad Rom. ii. ut sine ipso, eju-que virtutis influxu, aut omnino non sint, aut esse necessa-rio desinant. Non minus autem necesse est, ut eadem omnipotentia ( quæ singulis momentis tibi dat esse, vitam, inspirationem & omnia Act. 17. ) quovis insuper tempore, omnique in loco tibi opituletur, concurren-do tecum ad omnia & reapse influendo in omnes motus, omnes perceptiones, omnes operationes animæ & corporis tui; detque non solum vires & potentiam, ut possis; sed & juvet & una operetur omnia, quæcunque operaris, ut quidquid agis, non solum tuum, sed simul Dei sit tecum agentis; ita ut cum Isaia c. 26. fateri cogaris: *Omnia opera nostra operatus es in nobis.* Concurrit ipse cum oculis tuis, ut videant; cum auribus, ut au-diant; cum manibus, ut palpent; cum pe-dibus ut progrediantur; cum sanguine ut in arteriis circu magatur; cum corpore, ut sen-tiat; cum anima, ut intelligat ac velit. Ut proinde nihil possis sine ipso, sine præsenti ipsius adjumento, sine continuo ipsius in-

fluxu ac concursu : Divinaque ipsius omnipotentia non aliter tibi succurrere , ac in manibus quodammodo portare te debeat, quam provida mater gestans & juvans filiolum , se ipsum regere non valentem. Deut. 1. Sed neque Divino hoc concursu satis provisum adhuc foret impotentiæ ac imbecillitati tuæ, nisi pariter eadem omnipotentia cum rebus ceteris, quas ad obsequium tuum creavit , constanter concurreret ; cum sole ad te illuminandum , cum aqua ad te refocillandum , cum arboribus , plantis , animalibus ad te nutriendum. &c. ideoque tui causa in continuo motu teneret sidera , in continuo fluxu fontes , in continua fœcunditate animalia , fertilitate terram , &c. sicque ut Apostolus ait. 1. ad Cor. 12. Operaretur omnia in omnibus. O quantum tibi debeo Deus meus ! quod semper & ubique misero mihi , omniumque egentissimo , tua omnipotentia subvenias , totque innumeris locupletes bonis , non attento animo nunquam non ingrato . quo me omnibus beneficiis tuis indignum reddo. Videri posses ideo solum esse omnipotens , ut cum te ipsum locupletare non possis , non indigenis aliquo ; effunderes super me divitias bonitatis & omnipotentiæ tuæ.

tuæ. An non saltem melius illas impendisses  
innumeris aliis creaturis, quæ melius respon-  
dissent tantis beneficiis tuis? Quid ergo te  
movit, ut in indignum conferres, quæ aliis  
dignioribus ad maiorem tuam gloriam con-  
ferre potuisses? an forte hæc ipsa ingratitudo  
& indignitas mea tibi sufficit ad palam fa-  
ciendam in me bonitatem ac misericordiam  
tuam? Sed O quantum hæc tua bonitas me  
in ruborem agere debet; dum video infini-  
tum amorem tuum semper, & in omnibus  
triumphare de illiberalitate & inhumanitate  
mea! An quidquam, quantumvis exiguum,  
tibi præsto Deus meus, quin centuplicato re-  
tribuas mihi? Et cum tu potentiam & amo-  
rem tuum mæ utilitati constanter impendas,  
quo signo benevolentie me gratum tibi exhi-  
beo? Nonne potius Judæ vestigia sequor,  
qui dum in fru Charlatis tuæ nutritur, pro-  
ditorio te vendit osculo? &c.

## CONSIDERATIO XVI.

*De Sanctitate DEI.*

Hæc 1. Admiranda. 2. Adoranda. 3.

Imitanda.

P. I. *Hæc admiranda.* Multos equidem  
sanctitate eximios veneratur Eccle-  
sia,